59731

✠

In Nomine Domini Amen.

QUÆSTIO PHYSICA De ANIMA,

Ex 1. Lib. Textu 11. & sequentibus Aristotelis

DEPROMPTA,

SUB FELICISSIMIS AUSPICIJS,

Magnifici Perillustris & Admodum Reverendi Domini,

D. M. CASIMIRI PAŁASZOWSKI,

Sacræ Theologiæ PROFESSORIS, Collegæ Majoris, Ecclesiarum S. FLORIANI Clepardiæ ad Cracoviam CANONICI, Curcloviensis DECANI, Parochialium S. STEPHANI Cracoviæ PRÆPOSITI, in Czerniechow CURATI, Studij Generalis Universitatis Cracoviensis Vigilantissimi

RECTORIS.



A

M. JOSEPHO ANTONIO DECLOS,

Philosophiæ Doctore & Professore, Contubernij Hierusalem Seniore.

Pro Loco in Collegio Minori obtinendo

Publicè ad Disputandum,

In Perausgusto CC. DD. Theologorum Lectorio,

PROPOSITA.

Anno Domini 1741. Die 25. Mensis Ianuarij.

Cracoviæ, Typis Collegij Majoris Universitatis.

QUÆSTIO PHYSICA, De ANIMA.

U. Anima conſtituens unum per ſe cum corpore, in vegetativam, ſenſitivam & rationalem ſecundùm gradum communem diviſibilis diſtingvatur realiter à ſuis potentijs? ſitq; tantùm unica & indiviſibilis in toto Compoſito, nec ne?

CONCLUSIO I.

Anima ſecundùm quemcunq; gradum accepta conſtituit unum per ſe cum corpore.

COROLLARIA.

I. *Anima eſſentialiter eſt actus primus corporis Phyſici organici, potentiâ vitam habentis.*

II. *Hæc definitio convenit animæ omni, etiam rationali ut intellectiva eſt.*

III. *Deſcriptivè verò Anima eſt id, quô vivimus, movemur, ſentimus & intelligimus primò.*

IV. *Anima non eſt temperamentum qualitatum.*

V. *Anima non eſt actus aſſiſtens, ſed verè informans, ſecundùm quemcunq; gradum ſibi identificatum.*

CONCLUSIO II.

ANima ſecundùm gradum communem rectè dividitur in vegetativam ſenſitivam & intellectivam.

COROLLARIA.

I. Illa Animæ diviſio eſt Generis in ſuas Species ſubalternas.

II. Gradus tamen viventium ſunt quatuor, vegetativum, ſenſitivum, loco motivum & intellectivum,

III. Appetitivum non conſtituit gradum diſtinctum animatorū.

IV. Anima rationalis eſt eminenter formaliter vegetativa & ſenſitiva, ſicut ſenſitiva eſt etiam eminenter vegetativa.

V. Anima per hoc differt à formis inanimatorum, quòd ſit principium operandi elevatum ſupra materiam.

CONCLUSIO III.

ANima realiter diſtingvitur à ſuis potentijs ſecundùm quemcunq; gradum conſideratis.

COROLLARIA.

I. Genera potentiarum animæ ſunt quinq; vegetativum, ſenſitivum, appetitivum, loco motivum, & intellectivum.

II. Potentiæ animæ ſecundùm gradū vegetativū conſideratæ ſunt tres, nutritiva, augmentativa & generativa. Secundùm gradum ſenſitivum ſunt omnes ſenſus, tam quatuor interni, quam quinque externi. Secundùm gradum rationalem ſunt tres: intellectus, voluntas & memoria.

III. Iſtæ omnes potentiæ animæ ſuam unitatem & diſtinctionem ſpecificam deſumunt, ab actibus & Objectis adæquatis formaliter ſumptis.

IV. Senſus, imo omnes potentiæ cognoſcitivæ etiam ſpirituales indigent ſpecie intentionali repræſentante objectum, & vices ejus ſupplente.

V. Potentiæ animæ non organicæ ſubjectantur in anima rationali, jam verò organicæ in toto compoſito.

CONCLUSIO IV.

ANima tantùm est unica & indivisibilis in toto Composito.

COROLLARIA.

I. *Præter animam substantialem non datur forma corporeitatis, dans esse partiale & divisibile corpori in viventibus.*

II. *Etiam in homine una solùm est anima scilicet rationalis.*

III. *Probabile est hominem prius vivere vita vegetativa, postea sensitiva tandem rationali.*

IV. *In homine si darentur plures formæ, darentur & plures existentiæ.*

V. *In corpore viventis datur aliqua pars, quæ est sedes prima animæ.*

Hinc Illi

In Quo vivimus movemur & sumus

DEO TER OPTIMO MAXIMO

Animarum rerumq; omnium Authori

Honor & Gloria.



Permissu Magnifici Domini RECTORIS.



